

si nova inconvenientia, et difficultates se offerunt pro executione, quam pro electione, oportet non solum majori efficacia, et conatu movere, et applicare, quod voluntatis est, sed etiam novo modo judicare, ordinare de faciendis, quod intellectus est. Licet enim ea quæ exequentia sunt possint prævideri, et judicari ante electionem, tamen sub eo modo, et circumstantiis quibus occurrunt quando hic et nunc exequentia sunt, non judicantur ante electionem, aut saltem non requiruntur, nec conducit per se ad electionem, ut eo modo judicentur, et ordinentur, quæ ad electionem concurrunt, sicut ea quæ ad executionem. Ad electionem enim conducit, et consideratur utilitas, et congruentia mediorum per ordinem ad finem: in executione vero applicatio, et concernentia talium mediorum cum occurrentiis, et circumstantiis, juxta quod datur locus aliquando detentioni, ne executioni mandetur id quod electum est, et quod congruum reputabatur, et utile. Quare oportet locum relinquere alteri judicatorio, seu tribunali, in quo ultimo ordinentur, et judicentur executiones ipsæ secundum ultimam individuationem, et occurrentiam circumstantiarum, et tunc ordinet intellectus ultimam resolutionem dicendo: Fac tali, vel tali modo. Quod si aliquis intellectus, seu judicium sit, quod omnia ista perfectissime penetret ante electionem, et sic non indigeat nova notitia pro executione rerum, hoc erit per accidens, et quasi materialiter, ratione subjecti sic comprehendentis non ex formali ratione talium objectorum, et dictaminum. Et fortassis talis intellectus ob eminentiam suam simul eliget, et imperabit, quod non tollit, ex sua formali ratione, et exigentia illos actus, seu judicia illa esse distincta, seu

distincta objecta de se habere, sicut eodem actu potest ille intellectus intelligere principia, et conclusiones, et illa voluntas eodem actu intendere, et eligere, et tamen de se isti actus diversi sunt.

X. Quod vero istæ difficultates in exequendo non solum inveniuntur in ordine ad alios homines, sed etiam in eodem homine respectu diversorum actuum, vel potentiarum patet, quia non solum invenimus difficultates in his quæ per alios exequentia sunt, sed etiam in his, quæ per nos sunt faciendæ, et oportet in ipsa executione multoties aliter providere, quam ante putabatur, quando res eligebatur, aut quia facultates ipsæ, et potentia aliter sunt dispositæ, aut quia nova impedimenta reperiuntur, vel superveniunt, quæ ante non putabantur, vel non omnino mensurabantur; ergo oportet locum dare ut in his aut variari possit judicium, et ordinatio antea facta, aut saltem confirmari, et applicari de novo juxta occurrentes circumstantias, ut fiat cum effectu. Nec enim homo ipse applicat potentias, et facultates suas ad executionem, nisi disponendo, et providendo, et judicando ea quæ hic et nunc occurrunt ut fiat vel non fiat, aut tali vel tali modo fiat, verbi gratia cum tali celeritate, vel tarditate, aut conatu, etc. Quæ omnia ante judicari non potuerunt, nec applicari sicut cum instat executio hic et nunc.

XI. Quod vero isti actus distinguantur a consilio, et judicio per quæ regulatur electio, patet. Nam pro consilio ponitur distincta virtus, scilicet eubulia; pro judicio, et sententia, seu determinatione ponitur synesis; et pro præcepto ponitur prudentia, quæ sunt virtutes distinctæ, et omnes ad intellectum pertinent, in quo residet prudentia, ut videri potest apud D. Tho-

mam infra quæst. LVII, articulo II, et secunda secundæ, quæst. XLVIII, et quæst. LI, per totam. Et sic videmus aliquos esse bene consiliativos, aut judicativos, et male præceptivos, quia circa executionem tepidi sunt, et sic non præcipiunt cum debita ordinatione, et resolutione. Distinguitur ergo præceptum, seu imperium a judicio, et consilio regulante electionem, præceptum enim post electionem sequitur; imperamus enim fieri id quod electum est, et acceptatum per voluntatem. Et tamen imperium, seu præceptum pertinet etiam ad intellectum, quia est actus præcipuus prudentiæ residentis in intellectu; ergo si est distinctus actus a consilio, et judicio, quia consilium, et judicium pertinent ad distinctas virtutes, scilicet eubuliam, et synesim, consequenter imperium est actus distinctus a judicio, et sententia, quæ antecedit electionem.

XII. Ad rationes dubitandi a principio: ad primam respondetur in brutis non requiri alium actum per modum usus, et applicationem, sicut in nobis, quia brutum ducitur impetu, et instinctu naturæ ad exequendum, homo autem arbitrio, et ratione, et cum quadam commensuratione, et conferentia ad finem, et ad circumstantias hic et nunc occurrentes, juxta quod dispensat efficaciam, et conatum, et applicationem suam ut sit major, aut minor juxta exigentiam difficultatum, et negotiorum. Unde potest temperare applicationem, et conatum ipsum, vel intendere ad exequendum, et ideo talis applicatio, seu usus debet esse actus voluntatis active utentis, et applicantis, non vero solius facultatis motæ, et applicatæ, quia ista temperatio, et modus efficaciam, et conatus non fit ab ipsa potentia mota, sed dispensatur a voluntate et ex ipsa nascitur; recipitur vero,

seu participatur in facultate applicata. Est etiam distinctus actus ab electione, quia post electionem medii, adhuc est in arbitrio, et potestate voluntatis ipsam executionem modificare, et temperare magis, vel minus juxta circumstantias occurrentes, et exigentiam finis; ergo præter electionem, adhuc oportet in voluntate ponere aliam applicationem, quia potest cum diversa modificatione, et temperatura ipsam executionem movere, quod nondum per electionem factum fuerat, quia nondum executio, et ejus circumstantiæ occurrerant. Hoc autem non invenitur in brutis, in quibus semel posito affectu ex instinctu naturæ, non est in manu eorum moderari, et temperare, aut magis conari ad executionem, sed feruntur impetu naturæ omnino determinato non applicatione temperabili secundum rationem, et collationem.

XIII. Ad id quod objicitur contra actum imperii, respondetur imperium utroque modo movere, scilicet et quoad exercitium, et quoad specificationem circa executionem hic et nunc faciendam. Quoad exercitium quidem movet ex efficacia voluntatis præsupposita, ratione cujus imperium habet vim obligandi, seu impellendi. Et hæc efficacia nascitur ex voluntate jam determinata per electionem, quatenus electis, et acceptatis, seu determinatis mediis facit voluntas impetum ad executionem, et ex isto impetu, quo ad exequendum convertitur, movet intellectum ut ordinet ultimate quomodo hic et nunc faciendum sit, et impellat ad faciendum sua ordinatione, et sic communicat imperio efficaciam, sive id fiat per aliquam sympathiam sive per realem impressionem juxta diversos opinandi modos, quos retulimus in libris de anima, quæst. XII, cap. VI. Quoad specificationem autem movet propo-

nendo, et iudicando, ac discernendo ex parte intellectus id quod necessarium est ad ipsam executionem hic et nunc faciendam juxta circumstantias occurrentes cum efficacia, et obligatione ad faciendum, quod totum requirit distinctum iudicium, et directionem ab ea, qua regulatur electio propter distinctas difficultates, quæ in ipsa executione possunt occurrere, quæ diverso indigent iudicio, et ordinatione per se loquendo.

XIV. Nec ad id sufficit voluntatis impulsus sine ordinatione et directione intellectus, quia difficultates illæ discussione indigent, et iudicio, ac manifestatione ejus quod agendum est, ita quod utrumque debet concurrere, scilicet instantia, atque urgentia, seu efficacia voluntatis ut obliget, et impellat, et directio intellectus, ut ostendat quomodo hic et nunc faciendum sit, et quo temperamento, vel quanto conatu urgendum sit. Et ideo dicitur quoad specificationem etiam movere, quia licet illud iudicium, et ordinatio sit de executione facienda, et cum efficacia, et obligatione ad illam, et non de ipsa specie, seu specifica, et essentiali ratione objecti in se, tamen quia movet ad istam executionem proponendo per intellectum, et ordinando, ac manifestando quod sit facienda talis executio, dicitur movere quoad specificationem ratione executionis propositæ, et manifestatæ: nam etiam ipsa executio manifestabilis est, et ratione manifestationis movere potest, et hoc est movere quoad specificationem, scilicet quoad objectum propositum, quatenus omnis motio objectiva quoad specificationem est, quia objecti munus (quodcumque illud sit) est specificare ad distinctionem motionis pure impulsivæ, et quoad exercitium, quæ ex parte subjecti quasi efficientis, et impellentis se tenet.

XV. Ad instantiam autem qua probatur imperium non movere voluntatem, et alias potentias, respondetur movere voluntatem proponendo ei objectum, et mediante voluntate movere alias potentias. Ridiculum autem est dicere, quod voluntas non cognoscit, aut videt, et sic non potest per imperium moveri; hæc enim ratione a nullo objecto proposito deberet moveri, etiam in ipsa electione, et in quocumque alio voluntatis actu, quia voluntas nullum objectum cognoscit. Et hoc ipsum argumentum proponit sanctus doctor in hac quæstione xvii, art. v, argumento secundo, et respondet: Quod sicut oculus videt toti corpori, et non solum sibi, ita intellectus intelligit omnibus potentiis, et ex eo quod homo est intelligens per intellectum, redditur volens per voluntatem, sine hoc quod voluntas intelligat. Et sicut non est necesse quod pes, vel manus videat ut dirigantur ab oculis, sed oculi vident pro manibus, et pedibus, etc. ita non est necesse quod voluntas cognoscat, ut moveatur ab intellectu, et ab ejus imperio. Alias autem potentias sensitivas movet intellectus mediante imaginatione, cujus apprehensio subordinatur, et movetur a ratione. Ex imaginatione autem regulatur appetitus sensitivus, et ab illo facultas motiva, et membra corporis, ut docet S. Thomas in hac quæstione xvii, art. ix.

XVI. Ad ultimum respondetur esse discrimen de oratione, et de imperio respectu sui. Nam oratio non solum est inferioris ad superiorem, sed etiam indigentis, et carentis ea re, quæ petitur, quia non est in manu sua habere illam, et sic petit ab eo, qui dare potest. Si enim aliquid est in manu, et potestate propria simpliciter non caret illo, et frustra quis orat pro eo, quo non caret, sed in manu habet, quantumcumque sit

inferior. At vero ad imperium sufficit ordinatio effectiva, et obligativa superioris ad inferiorem, ita quod moveat illum. Potentiæ autem licet sint in eodem supposito, subordinantur tamen inter se, et una est inferior altera, et accipit ordinem, et modum operandi ab alia, sicut videmus, aut audimus, aut ambulamus eo modo, et ordine quo volumus, et sicut disponitur, et ordinatur per artem, vel per regulam et præceptum operandi. Et sic sunt capaces imperii, quia sunt capaces subordinationis, et ordinis accipiendi ab altero, vel mediate, vel immediate. Non tamen potentiæ inferiores hoc ipso quod sunt in eodem supposito sunt capaces indigentia respectu eorum, quæ in manu, et voluntate propria sunt, quia voluntas totius suppositi, et potentiarum ejus voluntas est, et omnibus ministrat. Unde frustra quis oraret pro potentia inferiori ut haberet, et acciperet id quod est in manu suæ voluntatis, et ideo potentiæ inferiori non convenit orare voluntatem, convenit tamen ei subjici, et obedire ordinationi ejus.

XVII. Quod vero dicitur de lege, quod nemo eam sibi imponit, respondetur quod lex est regula ordinans de bono communi, non de privato ut dicitur infra quæst. xc, et ideo potest aliquis sibi imponere obligationem de bono privato, ut patet in voto, non tamen legem sibi statuere, quæ est de bono communi, et respicit multitudinem, non se ipsum tantum. Et tamen etiam princeps condens legem pro multitudine, debet illam observare, non ex vi coactiva, quæ solum est ad alterum, sed ex naturali æquitate, ne caput dissonet a membris, nisi forte ex dispensatione.

XVIII. Adhuc tamen objicies pro sententia Vasquez. Nam agens, et movens denominatur agere, et movere per motum, et actionem re-

ceptam in passo, et in re mota: ergo similiter voluntas poterit denominari utens, et applicans per usum et applicationem receptam in facultate mota, non per actum a se elicited distinctum ab operatione potentiæ applicatæ. Patet consequentia, nam uti, et applicare est movere; ergo sufficienter denominatur voluntas utens per usum passivum receptum in potentia mota. Unde D. Thomas nunquam dixit usum esse actum voluntatis ut elicentis, sed solum dixit esse voluntatis ut primo moventis, et intellectus ut dirigentis, et aliarum potentiarum ut exequentium. Si autem est voluntatis ut primo moventis, non sequitur quod sit actus ab ipsa elicited, sufficit quod sit imperatus, et motus, potentiarum autem exequentium elicitive. Et confirmatur, quia neque Damascenus, neque Aristoteles aut alii meminerunt hujus actus, qui est usus tamquam distincti ab aliis; ergo sine fundamento ponitur.

XIX. Respondetur quod in actionibus transeuntibus actio in quantum motus, et motus ipse, et passio (quæ omnia identificantur) subjective sunt in passo, et ab aliis denominatur agens movere, et agere, quia ibi completur effectus, sine quo non dicitur efficere. At vero in actionibus immanentibus (quales sunt voluntatis) non dicitur quis agere et applicare, et movere solum ex actione recepta in potentia mota, aut ex ejus applicatione, aut usu passivo, quia actio immanens in ipso agente debet manere, et ex illa debet resultare in potentia mota usus, seu applicatio passiva, sive id fiat per sympathiam, sive per novam impressionem, et motionem. Unde si datur usus passivus ortus a voluntate bene sequitur dari activum ortum a voluntate elicitive, quia est actus immanens.

XX. Et sic etiam solvitur quod opponitur ex D. Thoma; cum enim dixit usum esse actum voluntatis ut primo moventis, clare subintelligitur esse etiam ejus ut elicientis, quia est movens per actum vitalem immanentem, qui non potest esse nisi elicitus: ideoque solum D. Thomas tribuit usum potentiis exequentibus ut instrumentis, voluntati autem ut principali. Ad id quod opponitur ex auctoritate negativa Damasceni et Aristotelis dicitur, quod licet ipsi hoc nomine usus non utantur, illo tamen utitur D. Augustinus x de Trinitate, cap. xi, ubi inquit: « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis, » et lib. lxxxiii quæstionum quæst. xxx: « Uti aliquid non potest, nisi animal rationis particeps. » Et iterum: « Quod Deo nullus recte utitur, sed fruitor. » Et sic omnes scholastici cum magistro in primo sententiarum, dist. i, nomine usus utuntur, et cum D. Thoma hic. Et Damascenus lib. ii fidei, cap. xxii dicit: « Quod voluntas post electionem statim se refert ad actionem, et versatur circa illam, » illud autem referre est applicare, seu uti. Et Aristoteles in de anima, c. xi dicit: « Quod voluntas dicitur movere mota; » quod movere utique est uti, et applicare alias potentias.

QUOMODO USUS SE HABEAT ERGA FINEM?

XXI. Denique ut natura istius actus, qui est uti, magis explicetur, libet advertere, quomodo intelligatur, quod S. Thomas dicit art. iii, quod usus non est de fine ultimo, scilicet ut supra diximus explicando textum, quod non est de fine ultimo formaliter, scilicet ut rationem finis exercet, eo quod uti correlative se habet ad utile, et utile

non est finis, sed ad finem, quia nihil est utile ratione sui, sed prout ad alterum, ad aliquid enim utile esse debet. Addit tamen D. Thomas in corpore articuli, quod licet simpliciter quis fruatur fine, tamen quoad hunc potest uti tali fine, quatenus refert ipsum in possessionem, quæ est finis quo, sicut avarus refert pecuniam in possessionem, et sic utitur ea. Et solutione ad secundum generaliter docet, quod requies in fine, quæ est fruitio, est usus finis.

XXII. Contra hæc dicta obstant aliquæ difficultates minoris momenti. Nam contra primum est vulgare argumentum, quia aliquando actus externi sunt fines voluntatis, et tamen voluntas utitur istis actionibus; ergo utitur fine. Major est certa, et admissa a D. Thoma supra quæstione i art. i ad secundum, et patet, quia avaro ultimus finis est acquirere pecuniam; voluptuoso luxuriari; justo reddere alteri quod suum est, etc. ergo operatio externa potest esse finis. Minor autem probatur, quia istæ actiones sunt voluntariæ; ergo ex applicatione voluntatis, quia ex se id non habent; ergo utitur illis voluntas, quia uti est applicare. Et D. Thomas docet citato loco istas actiones imperatas posse esse finem voluntatis, si autem sunt imperatæ; ergo possunt esse applicatæ, et cadentes sub usum. Contra secundum vero est, quia finis quo, seu adeptio finis ordinatur ad finem qui, seu ad rem, quæ est finis, non e contra; ergo male dicit D. Thomas uti aliquem pecunia, quia refert eam in possessionem. Et confirmatur, quia sic etiam posset beatus referre Deum ad suam fruitionem, et spes referre Deum ad se quatenus illum sibi concupiscit, et sic posset uti Deo, quod est omnino absurdum.

XXIII. Ad primum respondetur,

quod in actionibus externis in quibus voluntas constituit finem, est duo considerare, alterum quod est motus, et actionis; alterum quod est quietis, et adeptio finis, et fruitionis ejus: sicut etiam in ipso fine, et est considerare formalem rationem finis, scilicet bonum satiativum voluntatis, et materiam hujus finis, scilicet quod sit aliquid bonum increatum vel creatum, et inter bona creata, quod sit hoc vel illud, puta honor, vel divitiæ, vel voluptates, etc. Dico ergo, quod actus externi non accipiuntur ut fines formaliter, quatenus sunt motus, et actiones motæ seu imperatæ, sed quatenus sunt quies et fruitio, ita quod in illis quiescit voluntas. Non autem imperantur, nec illis utitur voluntas quatenus sunt quies, seu quatenus in illis quiescit, sed quatenus illæ operationes sunt motus, et tendentiæ ad finem. Quando enim avarus applicat manum ad acquirendam pecuniam, aut voluptuosus ad cibum, etc. talis applicatio, et usus movetur a voluntate ut fiat illa actio quatenus motus est requisitus ad adeptio finis, quatenus quietativa, et fruitiva est. Ipsam autem quietem, et fruitionem, neque imperat voluntas, neque utitur, sed consequitur ex ipsa consecutione finis naturaliter, licet ista consecutio fiat aliquando per aliquam actionem externam imperatam, et applicatam a voluntate, sed non imperatur quatenus est quietativa, et fruitiva in fine, sed quatenus est executio ultimi medii, quo consequitur finis, et hoc modo non est quies sed motus, et per modum medii ultimi se habet, et sic cadit sub usum, et imperium, licet eadem prout quietativa, sit finis. D. Thomas autem quando ponit actionem imperatam pro fine, loquitur de illa actione materialiter sumpta, nec ibi disputat sub qua formalitate sit

finis, et sub qua sit imperata. Non repugnat ergo in eadem materiali entitate sub una ratione materiali cadere aliquid sub imperium, et usum, non sub alia, et eundem finem ultimum quoad materiale cadere sub electione et arbitrio, non quoad formale, sicut unus eligit vitam voluptuosam, alius ambitiosam, alius pecuniosam, alius virtuosam pro fine.

XXIV. Ad secundum dicitur, quod D. Thomas dicit avarum uti pecunia referendo eam ad possessionem, vel quia pervertit fines, et habet pro magis principali possessionem, vel quia utitur pecunia sub ratione acquirendæ, referendo eam ad possessionem ut ad quietem, id est, ad ipsammet pecuniam ut quiete possessam. Unde non refert finem qui ad finem quo, sed pecuniam ut in acquisitione ultima refert ad ipsam pecuniam ut quiete possessam, quia eadem actio, et habet rationem medii, quatenus ultimum acquirens, et rationem finis ultimi, quatenus quietans in pecunia, et sic non solum est finis quo, sed etiam includit finem qui. Beatus autem non potest in ipsa fruitione, et beatitudine habere aliquid actionis productivæ finis, sed præcise adeptivæ, et fruitivæ in termino. Unde non potest uti Deo referendo ad fruitionem, sed totam fruitionem refert in Deum, quia ordinatissime procedit, quando Deum concupiscimus nobis, non volumus illum nobis ut fini, sed nobis ut subjecto; Deum autem in se volumus ut finem, sed applicandum nobis ut subjecto fruitionis.

ARTICULUS II.

In quo genere actus sit imperium?

I. Dico primo: Imperium formaliter, et executive est actus rationis;